



1887.


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE





RECTOR

VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS
IN ANNOS MDCCCLXVII–LXVIII
INDICIT

PRAEMISSVS EST

VIBI SEQVESTRIS DE FLVMINIBVS ETC LIBELLVS
A CONRADO BVRSIAN RECOGNITVS

TVRICI
TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI
1867

1871, Feb. 18.
Salisbury Fund.

Vibius Sequester — quae quin uera sint nomina hominis de cuius neque patria neque aetate quicquam memoriae proditumst non est cur dubitemus [1]) — in usum Vergiliani fili artem ut uidetur grammaticam profitentis (u. p. 1, 10) composuit indicem fluminum fontium lacuum paludum montium gentium quorum nomina e poetarum nonnullorum Romanorum carminibus quae tum maxime in scholis grammaticorum lectitabantur desumpsit, additis quibusdam de regionibus et qualitatibus eorum, ut ipsius uerbis utamur (u. p. 1, 5 s.), obseruationibus, quas maximam partem e commentariis quibus litteratores magis minusue eruditi poetarum illorum carmina illustrauerant haustas esse facile intelleget quicunque paullo curiosius in hanc rem inquisiuerit. Quamquam autem auctor huiusce libelli de plerisque poetis apud quos fluminum mentio habita sit loquitur (p. 1, 4), mihi tamen persuasi aliisque etiam me persuasurum esse spero, illum quattuor tantum uel quinque poetarum carminibus usum esse: Vergili Bucolicis Georgicis Aeneide; Ouidi metamorphoseon et fastorum libris; Lucani Pharsalicis; Sili Italici Punicis; quibus dubito an addendae sint Stati Thebais (cf. ad p. 4, 15) et Ouidi ex Ponto epistulae (cf. ad p. 4, 6; 7, 6). In his enim quae modo nominaui carminibus longe plurima eorum nominum reperiri quae in indicem suum rettulit Vibius, in adnotatione textui quem uocant libelli Vibiani a me subiecta ita docui ut singulos locos e quibus singula nomina desumta esse arbitror indicarem; quorum plurimos sollerti cura inuestigauit Franciscus Hesselius, alios Oberlinus adscripsit, nonnullos ipse primus indicaui. Qua in re ita uersatus sum ut e pluribus locis in quibus idem nomen commemoratur eum diligerem ex quo potissimum sua hausisse Vibium ipsius uerba cum poetae illius uel enarratoris cuiusdam uerbis conlata mihi persuaserunt; ubi ipse ambigebam, modo plures locos adscripsi, modo nullum.

---

[1]) Quod nuper de his nominibus e Ciceronis oratione pro Cluentio habita (8, 25) ab homine nescio quo effictis dixit Martinus Hertz (Jahrb. f. Philol. Vol. XCIII p. 275) id a uiro doctissumo argutius quam uerius inuentum et confidentius quam cautius pronuntiatum esse existumo.

Erunt fortasse qui mirentur quod Vibium ad Sili Italici carmen, cuius raro tantum meminisse uidentur ueteres [1]), non solum saepius respexisse sed etiam commentariis illud illustrantibus usum esse dixerim; quibus respondebo his Lucreti uerbis: 'At manifesta palam res indicat'. Scilicet e Siciliae fluuiis quorum nomina in Vibi libello leguntur plurimi apud solum Silium commemorantur (u. ad p. 1, 19; 2, 9; 4, 10; 6, 9 et 10; 10, 5; 11, 13), ita ut Vibium huius carmine usum esse tibi fatendum sit, nisi forte statuere mauis eum Corneli Seueri de bello Siculo carmen (cf. Quint. X, 1, 89) legisse. Accedunt alii loci, ueluti quae p. 1, 13 de lenissimo Araris decursu scribit Vibius optime conueniunt cum Sil. Ital. Pun. III, 451 s. (cf. XV, 504 et Caesar. b. G. I, 12), non conueniunt cum Lucan. b. ciu. I, 433 s. et VI, 475 s. neque cum eis quae de hoc fluuio tradit Seruius ad Verg. ecl. I, 63; adde quae notauimus ad p. 9, 15 et ad p. 10, 3 et 4. At, inquies, ipse Vibius praeter haec quae tu nominasti aliorum etiam poetarum carminibus se usum esse testatur, quippe qui et Galli (p. 5, 21) et Varronis Atacini (p. 8, 1) uersum uerbis suis interposuerit et Stesichori de Himerae fluminis cursu testimonium excitauerit (p. 6, 7) [2]). Audio, sed Vibium horum poetarum carmina ipsa legisse neutiquam credo. Varronis enim uerba a Vibio adducta cum pleniora exhibeat Seruius ad Verg. ecl. I, 66, ueri est simillimum ex huius uel alius grammatici commentariis deprompsisse Vibium, quemadmodum eum Sallusti de Turia flumine uerba, si modo haec ab ipso Vibio, non ab interpolatore aliquo sunt apposita, e commentariis ad Sil. Ital. Pun. XIII, 5 hausisse uideri dixi ad p. 9, 17. Porro eorum quae de Himera fluuio dicentem facit Stesichorum cum simillima legantur apud Sil. Ital. Pun. XIV, 233 ss., sponte nascitur suspicio, grammaticum aliquem graece et latine doctum hunc Sili cum Stesichoro consensum ad Sili uerba adnotasse. Itaque si etiam Galli uersum a Vibio e commentario aliquo ad Vergil. Georg. IV, 370 eis quibus nos utimur uberiore desumptum esse conicio, non uereor

---

[1]) Cf. Drakenborchi praef. (p. VIII ed I. P. Schmid.): „Si enim solum Sidonium Apollinarem [c. IX, 257] excipiamus, a tempore Plinii ac Martialis per tredecim ferme saecula nullus fuit qui eius uel uerbo meminisse reperiatur."

[2]) Catulli testimonium quod uolgo adscriptumst eis quae de Pisauro flumine traduntur (p. 8, 15 edit. meae, p. 16, 15 ss. ed. Oberl.) non ab ipso Vibio, sed ab interpolatore aliquo excitatum esse ex eo apparet quod uerba illa quae sunt 'de quo Catullus: moribunda sede Pisauri' aeque atque illa quae paullo supra in editionibus uolgatis leguntur 'qui et Isaurus, ut Lucanus' absunt a codice Vaticano quocum etiam reliquos codices hac in re consentire mihi persuasumst.

ne cui nimis audax esse uidear. Vberioribus enim quam eis qui nobis praesto sunt poetarum ex quorum carminibus fluuiorum fontium lacuum paludum montium gentium nomina excerpsit commentariis usum esse Vibium luculenter apparet ex eo quod haud pauca habet quae neque ex ipsis poetarum uerbis neque e scholiis qualia nunc legimus sunt deducta. Permultis quidem in locis quos in adnotatione mea notatos inuenies consentit ille cum commentariis ad Vergili carmina qui Serui nomine eduntur; nonnumquam etiam propius accedit ad Juni Philargyri siue Junili Flagri qui uocatur in Vergili bucolica et georgicorum libros commentarios [1]; denique est ubi cum Valeri Probi commentario ab Henrico Keil anno h. s. XLVIII edito conuenit: at non multo minor est eorum locorum numerus in quibus ab his quos nominauimus enarratoribus ita dissentit, ut modo ab eis quae illi tradunt diuersa, modo eadem atque illi sed accuratius et uberius explicata praebeat. Sic, ut pauca e multis afferam exempla, qui solus e Vergili carminum enarratoribus de Cinyphe flumine paullo accuratius disserit Valerius Probus ad Georg. III, 312 (p. 62 ed. Keil.) prorsus alia tradit atque ea quae legimus apud Vibium p. 4, 16 s. Minionem Etruriae fluuium commemorat Seruius ad Verg. Aen. X, 183, sed tacet de nominis origine cuius quamuis tenuem memoriam seruauit Vibius p. 7, 12. Simili modo quae de Aniene uel Anio Apollinis filio Anienis fluui heroe quem uocant eponymo tradit Vibius p. 1, 22 frustra quaerimus apud Seruium qui de Aniene fluuio uerba facit ad Verg. Aen. VII, 683. Idem ad eiusdem libri u. 682 de Praeneste oppido in montibus locato loquitur non indicato nomine montis, quem Arentinum dictum esse ex solo Vibio (p. 14, 14) discimus. Septem montium urbis Romae nomina a Vibio in indice montium posita (p. 14, 6; p. 15, 3; 21; p. 17, 7; 14; 18 et 23; p. 18, 5) alia sunt atque ea quae adfert Seruius ad Verg. Aen. VI, 783, sed prorsus fere conueniunt cum eis quae exhibet Varro de l. l. V, 41 ss., praeterquam quod pro Quirinali Quirinum, pro Viminali Velinum quem cum Palatino coniungit Varro (§ 54) nominat, quod non consulto sed per errorem

---

[1]) Commentariorum Serui et Philargyri usus sum editione ea quae 'ex bibliotheca Petri Danielis I. C.' excusa est (Geneuae) apud Petrum et Jacobum Chouët anno M.DC.XXXVI. Pro Philargyrio autem quod plerumque scholia Bernensia appellare potui, Hermanni Hagen in uniuersitate litterarum Bernensi litteras antiquas docentis amicitiae debeo qui scholiorum illorum abs se longe accuratius quam olim a Carolo Guilelmo Müller factumst e codice descriptorum quantum iam typis Teubnerianis excusum erat per aliquot dies utendum mihi permisit.

quales multos in libello Vibiano deprehendimus factum esse mihi persuasumst: iam cum haud probabile sit Vibium ipsius Varronis libris in indice suo corradendo usum esse, cum haec e commentario aliquo ad Verg. georg. II, 535 uel ad Aen. VI, 783 eis qui nobis seruati sunt et antiquiore et pleniore sumpsisse credo. Ex eodem commentario ducta esse conicio quae leguntur p. 3, 11 (cf. adn.); p. 4, 9 (cf. adn.); ib. 20 (cf. adn.); p. 5, 5 (cf. adn.); p. 8, 18 (cf. Verg. Aen. VIII, 727); p. 9, 5 s. (cf. Verg. Aen. III, 705); ib. 9 (cf. adn.); p. 13, 20 (cf. Verg. ecl. VI, 1; quamquam etiam de commentario ad Sil. Ital. Pun. XIV, 277 ss. cogitare licet); p. 14, 16 (cf. adn.); p. 15, 1 (cf. adn.); ib. 11 (ubi quin recte emendauerim Caenys neminem spero fore qui dubitet: cf. Verg. Aen. III, 411 ss. uel Sil. Ital. XIV, 76 ss.), alia. Cuiusnam fuerit ille commentarius omitto nunc quaerere, cum res altioris sit indaginis quaeque tum demum, cum uaria illa membra ex quibus scholiorum corpus Seruianum compactumst inter se distincta erunt nexuque suo exsoluta, ad certum fundamentum referri possit: interim de Donato cogitare licet quem Lucaniae adscripsisse lacum Ampsanctum simulque Caloris fluui mentionem fecisse Seruius tradit ad Aen. VII, 563, quibuscum conferas quae leguntur apud Vibium p. 12, 1 et p. 4, 9.[1])

Quae de carminum Vergilianorum enarratoribus exposuimus eadem etiam in reliquorum poetarum carmina quibus Vibium usum esse diximus ualere facile apparet. Ex quibus Lucani de bello ciuili carminis qui in uariis codicibus exstant commentarii (u. editionis Weberianae tomum III qui prodiit a. h. s. XXXI) raro tantum, ut in magno nominum ex hoc carmine haustorum numero, propius accedunt ad ea quae Vibius praebet, ita ut hunc non Vaccae commentario cuius disiecta membra in codicibus nobis seruata esse uidentur (cf. Weber de interpretibus Lucani p. IV s.; H. Vsener De scholiis Horatianis commentatio p. XXX), sed antiquiore usum esse statuendum sit. Quo facilius ipsi lectores de hac re iudicare possint, praeter locos in adnotatione mea positos scholia quaedam ex optimo codice Bernensi CCCLXX cuius primam notitiam Hermanno Vsener debemus (l. l.) ab Hermanno Hagen in usum meum descripta hic subiungam:

Ad Vib. p. 2, 14 cf. schol. Luc. I, 420: Saturis zeu|||ma (sic cod.; fuit zeugma) mouet; est autem flumen Aquitaniae.

---

[1]) Donati qui dicitur de oppidorum, regionum, montium, fluminum etc. in Vergili Aeneide commemoratorum ratione librum (cf. Graefenhan, Geschichte der klassischen Philologie im Alterthum, Vol. IV, p. 316) ab hac quaestione prorsus remouendum esse censeo, quippe qui num umquam extiterit ualde sit ambiguum.

Ad. p. 2, 16 cf. schol. Luc. II, 52: Albis fluuius Sueborum hoc est Germaniae prouinciae. Albis fluuius Galliae uel stitiae (Scythiae?) qui dirimit Suebos a Cheruscis (a cerucis cod.).

Ad p. 3, 2 cf. schol. Luc. VII, 756, ubi cum scholia uolgaria haec praebeant: 'Tagus et Arimaspus sunt fluuii in quibus abundat aurum', in codice Bernensi leguntur haec: « Arimaspus Scythiae (scitiae cod.) populus aput quos mirmices sunt quaedam animalia formicis similia quae terras eradunt et repertum aurum egerunt » (aegerunt cod).

Ad p. 3, 6 cf. schol. Luc. VI, 370: nec tenuis uentos suspirat A. ab ipso nomine; nam Anaurus dictus quasi sine aura.

Ad p. 4, 14, p. 7, 13 et p. 8, 15 cf. schol. Luc. II, 406: Crustumium (cratumiū cod.) ex cuius nomine et ciuitas nuncupatur. Sapis qui regionem Ariminensium et Rauennatium finit qui nomen suum uicinae indidit ciuitati. Flumen etiam Sena a quo et oppidum dicitur. Aufidus (aut fidus cod.) uero fluuius extra Canusium impetu (impetum cod.) fertur ingenti quem longe (loge cod.) sonare dicit Horatius. Veloxque Metaurus: haec eiusdem regionis flumina sunt et quorundam ex his nominibus etiam (aetia cod.) urbes uocantur, ut Pisaurum et Ariminum (arminū cod.) et Sena. Crustumiumque rapax: fluuius. Senaque et Aufidus fluuii sunt (ut sena crotumiumque capax fluuius fluuio. Senaque et aut fidus fluuii sunt cod.).

Ad p. 8, 7 cf. schol. ad Luc. VI, 382: pinguis Bebrycio d. u. s. Vbi Amycus tyrannus regnauit qui se Bebrycio ueniens a. d. g. f. p. (Verg. Aen. V, 373 s.).

At nihil in scholiis nostris inuenimus de Atace (p. 2, 13), de Aoo uel Aeante (p. 2, 17 et p. 3, 3), de Apidano (p. 3, 8), de Hapso (p. 6, 12), de Ilerda fluuio (p. 6, 17), de Ligeri (p. 7, 5), aliis.

Ad Ouidi carmina qui solus praeter medi quod dicunt aeui commenta inani uerborum copia at solidae doctrinae inopia conspicua [1]) superesse

---

[1]) Exemplum talis commenti praebet codex Rhenaugiensis n. LXXVI, membr. saeculi XIII, qui p. 1—8 exhibet commentarium in Ouidi remedia amoris, p. 9—40 commentarium in eiusdem poetae fastorum libros, cuius maior pars scripta est eadem manu quae commentarium ad remedia amoris exarauit, sed media pars (p. 17—28) manu saec. XV. Vterque commentarius ab eodem auctore compositus esse uidetur, christiano procul dubio, nam citatur 'salmista' (i. e. psalmista) et p. 16ᵃ ima leguntur haec: 'Hominibus mutatis in deos mutabantur eorum nomina, ut qui prior Romulus (ro cod.), deinde diceretur Quirinus (qui cod.), Aeneas Indigetes, Ino Leucothea (leucotoe cod.) et sic cum ceteris, sicut etiam aliud nomen papa nunc assumit' (quod a. 955 a Ioanne XII primum factum esse constat). Idem codex deni-

uidetur commentarius — Lactanti Placidi quem uocant narrationes fabularum quae in P. Ouidi Nasonis libris XV Metamorphoseon occurrunt — is aliquotiens sane cum eis quae Vibius scripsit ita conuenit, ut hoc ipso libro Vibium usum esse dixeris. At si paullo accuratius in hanc rem inquisiueris, omnes locos in quibus Lactanti illius si diis placet uerba ipsa cum Vibianis fere consentiunt, in libro XV commentari illius inueniri uidebis [1]) quem librum, cum in codicibus antiquis qui commentarium illum seruarunt desideretur, non tam antiqui litteratoris opus quam centonem a Joanne Rainerio ex Regii maxime commentariis consutum esse docuit Thomas Muncker in praefatione tomo alteri Mythographorum Latinorum ab ipso editorum praemissa; ita ut eum qui hunc librum consarcinauit Vibi potius libello usum, Vibium autem et haec et alia ex antiquiore librorum Ouidi commentario hausisse statuendum sit. Denique cum de commentariis Sili Italici carmen illustrantibus a Vibio ad librum suum compilandum adhibitis iam supra dictum sit, restat ut eos locos indicemus quos unde hauserit Vibius reperire nobis nondum contigit. Sunt autem fluminum nomina haece: Alentus (p. 2, 5) [2]); Asinius (ib. 6) [3]); Alto (p. 3, 1, quocum comparari potest Ἄλτος uici prope Thessalonicam siti nomen teste Stephano Byzantio s. h. u.; nisi forte de corruptela graeci nominis quod est Δρίλων cogitandumst a Vibio ex auctore aliquo nobis ignoto repetita); Achelous alter (p. 3, 4 s.); Aternus (p. 3, 16); Barbanna (p. 4, 1); Brictates (p. 4, 3); Camicos (p. 4, 5: cf. Antig. hist. mir.

---

que p. 41 — 60 continet commentarium ad Horati artem poeticam et epistolarum librum priorem qui desinit in ep. I, 17, 31, ex quo commentario pauca quaedam exscripsit Orellius in excursu ad epist. I, 11 (p. 493 ed. II) et in nota ad art. poet. u. 146. — Codicem membranaceum Christiani Rumpfi in quo nuda tantum commentaria ad Ouidi fastorum libros continebantur ex R. Merkeli Prolegomenis (p. CCXCIII) noui.

1) Cf. adn. ad p. 3, 12; 14; 4, 18; 6, 20; 11, 4; 15; 12, 7; 9; 10; 13, 19.

2) Quae de hoc flumine Lucaniam a Veliensibus diuidente tradit Vibius hauriri poterant e commentario aliquo ad Verg. Aen. VI, 366; cf. Seru. ad u. 359 eiusdem libri.

3) Quod in adnotatione ad p. 2, 6 hunc fluuium eundem esse suspicatus sum qui ὁ Ὀνοβάλας nominetur ab Appiano, eius facti nunc me poenitet monitum a Maximiliano Büdinger uiro amicissimo qui ut ueteri prouerbio quod amicorum communia omnia esse iubet obsequeretur plagularum quoque huiusce libelli a typothetae erroribus uindicandarum molestiae particeps esse uoluit. Graecum enim nomen esse id quod est Ἀσίνης siue Ἀσίνιος satis apparet ex nomine Asinari siue Assinari fluminis agri Syracusani (Thucyd. VII, 84; Diod. XIII, 19; Plut. Nic. 27) cui addi potest etiam Assori oppidi nomen (Cic. in Verr. act. sec. IV, 44, 96; al.). Origo autem horum nominum num repetenda sit ab eo quod est ἄσις (cf. Etymol. M. p. 161, 44) an a uerbo quod est ἄγνυμι (cf. Etym. Gud. p. 4, 34), aliis diiudicandum relinquo.

c. 133 Westermann.; Steph. Byz. s. u. *Ἀκράγαντες*; idem esse uidetur Catinom apud cosmogr. Rauenn. V, 23 p. 405, 4 Pinder); Cydnos (p. 4, 11, fortasse e schol. ad Lucan. III, 225; nam de Dionysi orbis descr. u. 868 uel Rufi Festi Auieni descr. orbis terrae u. 1032 uel Prisciani perieg. u. 816 cogitandum non esse existumo); Cirta (p. 4, 12; idem est fluuius qui Arauris dicitur Plin. n. h. III, 4, 33 et Strab. IV, p. 182, Arausis Melae chorogr. II, 80, Thyrius Auien. or. mar. u. 593); Casilinum (p. 4, 13; cf. Agathiae histor. II, 4; Const. Porphyrog. de themat. II, p. 61 ed. Bekk.; adde titulum Orell. n. 6112 editum etiam a Theod. Mommsen in Diariis soc. litt. Saxon. a. 1850 p. 64); Drinus (p. 4, 21; cf. Plin. n. h. III, 26, 150; Ptol. geogr. II, 16, 7); Faneus (p. 5, 9); Herbesos (p. 6, 5; cf. adn. et Solin. pol. 5, 17 p. 56, 16 ed. Mommsen); Isamnus (p. 6, 16); Lycastus (p. 7, 6; cf. adn.); Lethaeus (p. 7, 7; cf. adn.); Mathis (p. 7, 15); Orethus (p. 8, 3; Panormi oppidi mentio fit apud Sil. Ital. XIV, 261); Pitonius (p. 8, 11; cf. adn.); Sequana (p. 9, 2; cf. adn., add. Ammian. Marc. XV, 11); Vluleus (p. 10, 15). Fontium nomina haece: Essus (p. 11, 7); Inessa (p. 11, 10; de Siciliae oppido Inessa cf. Diod. XI, 76; Strab. VI, p. 268 al.); Spandaeus (p. 11, 14; cf. adn.); lacus Aecicus (p. 11, 22; cf. adn.); montium Boreas (p. 14, 19; cf. adn.; de Bagora monte adde Th. Lucae Frid. Tafel de uia militari Romanorum Egnatia comment. p. 11); Cumerus (p. 15, 9; cf. adn.); Epidamnus (p. 15, 22; cf. adn. in qua excidit locus Strab. VII, p. 316) [1]); Maxteria (p. 16, 12; cf. adn.); Maesulus (p. 16, 13; cf. adn.); Oeniphile (p. 17, 2); Pylartes (p. 17, 12; cf. adn. in qua consulto omisi R. Vnger de Epiri monte cui *Πράκτις* uel *Πέλακος* nomen fuerit coniecturam in Philologi Vol. IV, p. 722 propositam); Rhamnusium (p. 17, 17; quod de hoc nomine ad Rhodopen montem referendo dixit R. Vnger l. l. p. 720 nullam probabilitatis speciem habere mihi uidetur); Sarnus (p. 17; 20; cf. adn. ad. p. 9, 9 ex quo loco fortasse per errorem Sarni nomen hic est repetitum); Temtrus (p. 18, 4); gentium denique quarum nomina ad unum omnia ex unius Vergili carminibus eorumque commentatoribus petita esse uidentur haec: Magempuri (p. 19, 15; cf. adn.) [2]); Pannoni (p. 19, 22); Philyridae (p. 19, 24); Sauromatae (p. 20, 3) [3]).

---

[1]) Epidamneae rupes Licenti (carm. ad Augustin. u. 66) certo huc non pertinent.

[2]) Quod ibi excusumst Magemburi typothetae errore a me praeteruiso factumst; in codice enim Vat. Magempuri exaratum neque aliud quicquam ex ullo alio codice enotatumst.

[3]) Haud me fugit Pannoniorum et Sauromatarum nomina in aliorum poetarum praeter

Ex iis quae de fontibus libelli Vibiani disputauimus etiam tenebris illis quibus auctoris et aetas et patria sunt obuolutae aliquantum lucis illatum esse puto. Saeculo enim post Christum natum quarto uel sub quinti saeculi initia uixisse Vibium ueri admodum simile mihi uidetur; quibus temporibus et ipsum huius libelli conscribendi consilium et tota qua auctor in eo compilando uersatus est ratio et rerum geographicarum quae in eo describuntur condicio, cultus denique deorum gentilium etiamtum in Italia uigentis certa testimonia (cf. p. 2, 15; p. 4, 19; p. 7, 2; p. 11, 13; p. 12, 19) optime conueniunt. Nomina quae quarto p. Chr. n. saeculo recentiora esse constet, si audaces R. Vnger de nominibus quibusdam Byzantinis coniecturas (u. supra) missas feceris, in toto libello frustra quaeres; nam Haemimontum prouinciam cuius nomen certa, ut puto, coniectura restitui p. 16, 3, Constantini temporibus institutam esse docuit Ed. Böcking annot. ad notit. dign. Or. p. 134; nominis autem Casilini Volturno fluuio inditi quod testem Agathia antiquiorem dare non possumus (u. supra), non impedit quominus duobus certe ante Agathiam saeculis hanc appellationem uolgo usurpatam esse statuamus, praesertim cum in titulo Capuano a nobis indicato omisso Volturni nomine simpliciter flumen appellari uideamus (u. 5 s.: KAL. MAIS. LVSTRATIO AD FLVMEN CASILINO). Ad Godofredi Bernhardy qui etiam in nouissima Historiae litterarum Romanarum editione (p. 724 et 729) libellum Vibianum serioribus medi quod uocant aeui temporibus confictum esse narrat sententiam refutandam sufficiet id quod statim de codice Vaticano dicturus sum.

De patria Vibi uidetur aliquid diuinari posse ex eo quod ex nominibus illis quorum ei soli notitiam debemus haud pauca (ut fluuiorum nomina Alto, Isamnus, Mathis, Vluleus, montium Epidamnus, Oeniphile, Pylartes, Rhamnusium, Temtrus) ad Epirum nouam quae tunc dicebatur, inprimis ad Dyrrachi Apolloniaeque urbium agros pertinent; unde coniciat aliquis, eum hac in regione natum uel diutius ibi uersatum de suo haec nomina eis quae e poetarum carminibus collegerat addidisse. Non me fugiunt tamen quae huic coniecturae opponi possint: primum mirum uideri si homo illis locis ortus latinis potius quam graecis litteris operam dederit; deinde talia additamenta cum eo consilio quo libellum suum se scripsisse in praefatione profitetur auctor prorsus non conuenire. Itaque cum statuere liceat Vibium usum esse

---

Vergilium carminibus uelut in Tristibus Ouidi passim commemorari. De Philyridis autem Venetiae gente quorum in locum Oberlinus audaci coniectura Philyras Ponti accolas substituit quid faciam nescio; aliquando de Iapydibus cogitaui (cf. Seru. ad. Verg. georg. III, 475), sed probe sentio hanc coniecturam certo fundamento carere.

commentario ad Lucani de bello ciuili carmen in qua Illyrici australis ora accuratius erat descripta quam ab ipso poeta aliisque auctoribus factumst, hanc de patria Vibi quaestionem aliis soluendam relinquo.

Inter codices in quibus Vibi libellus nobis seruatus est et aetate et auctoritate principem locum sibi uindicat cod. Vaticanus n. 4929 saeculo X in membranis formae quadratae scriptus de quo post alios accuratissime nuper disseruit Adolphus Michaelis in praefatione Pomponi Melae a Gustauo Parthey editi p. X s.[1]) Huius codicis folia 188—195 Vibi libellum continentia mense Maio anni h. s. LIII cum Romae uersarer quantum potui accuratissime contuli cum editione Iuntina Pomponi Melae, Solini etc. Florentiae anno MDXIX typis excusa in qua Vibius occupat folia 184-192. Ab hoc Vaticano codice diuersum non esse mihi persuasumst codicem Iacobi Revii cuius lectionis uarietatem a Nicolao Heinsio Danielis filio enotatam in editione sua publici iuris fecit Franciscus Hesselius. Hoc mihi persuasit primum quod Heinsius e Revii codice descripsit eandem illam de septem miris dissertatiunculam quam ego quoque e codice Vaticano (in cuius fol. 149^b atramento rubro et litteris quas dicunt uncialibus scripta extat) descriptam ad calcem libelli Vibiani edidi (p. 20, 9 ss.), deinde lectionum plurimarum ab Heinsio e codice Revii enotatarum cum eis quas ipse e codice Vaticano enotaui consensus; unde in iis locis in quibus alia rettulit Heinsius atque ipse repperi [2]) hunc pro more illius aeui codicem festinantius inspexisse aut Hesselium lectionis uarietate

[1]) Hoc unum addam, Plauti Aulularium quae in hoc codice legitur (fol. 55—77) non esse ipsam Plauti fabulam hoc nomine inscriptam, sed Querolum quam ex hoc ipso, ni fallor, codice edidit Petrus Daniel Lutetiae Parisiorum anno MDLXIV quae editio repetitast ad calcem uoluminis secundi editionis fabularum Plautinarum Patauinae anni MDCCLXIV.

[2]) Vt ipsi lectores iudicent, codicis Reviani scripturas quaecunque a mea codicis Vaticani collatione discrepant ex editione Oberliniana petitas hic apposui: p. 1, 23 ed. meae a Romanis; p. 2, 8 Anotos feos; p. 2, 17 decurrit; p. 4, 8 Asiae (pro atilae); p. 5, 16 in Epiro; p. 5, 22 diuidit (pro separat); p. 6, 12 Undeae (pro unde ac); ibid. Ionicum; p. 7, 7 Hermiona; p. 7, 10 desiderari dicitur (desideratur scilicet eo loco quo uolgo legitur post u. 13); p. 7, 17 Mechas; p. 7, 19 decurrit (pro fluit); p. 8, 7 Peneos; p. 8, 8 Garamenite; p. 8, 10 opprimeret; p. 9, 17 Thuria; p. 9, 19 Tibris (pro Thybris); p. 10, 4 Tapsus; p. 10, 6 Termus; p. 10, 8 quia et (pro et); p. 10, 18 Explicit de amnibus per litteras in ordinem digesti feliciter. Incipit de fontibus; p. 11, 1 Meveniae; p. 11, 7 Rhodo; p. 11, 10 Rhodo; p. 12, 18 de Nemoribus; p. 13, 3 deesse dicitur; p. 13, 20 Turaca; p. 14, 19 Beroas; p. 15, 6 Cyllenus; p. 16, 8 Hemine (pro Haemime); p. 16, 11 Monecus; p. 16, 17 Deonensium; p. 16, 20 Otheus (pro Ossa) et p. 17, 1 Ossa (pro Oetaeus); p. 17, 8 morati sunt; p. 17, 9 Thraciae in Italia; p. 18, 1 Samnitium; p. 18, 18 deesse dicitur; p. 19, 3 s. deesse dicuntur; p. 19,11 Lelecarii.

ab illo enotata non satis scite usum esse suspicor; quamquam me ipsum erroris in codice illo conferendo prorsus immunem fuisse neutiquam iacto. Correctus est codex duabus manibus: altera manu prima non multo recentiore, altera saeculi XIV quae haud pauca a manu prima omissa addidit in hac mea editione uncis quadratis [ ] inclusa; quae cum omnia fere ad geographiam Galliarum pertineant (cf. p. 5, 8; p. 7, 5; 11; p. 8, 21; p. 9, 2), sponte nascitur suspicio, haec non ab ipso Vibio posita, sed ab interpolatore aliquo Gallo addita esse, quemadmodum etiam p. 9 u. 17 quem in codice Vaticano a manu saeculi XIV in rasura scriptum esse in adnotatione dixi a librario aliquo illius saeculi e codice aliquo Prisciani (VI p. 201) inferri potuit deletis iis quae ab ipso Vibio scripta fuerant.

Ex hoc codice iam correcto reliquos omnes [1]) quorum haud exiguus esse uidetur numerus descriptos esse apparet, quippe qui praeter scribarum uel coniecturas uel hallucinationes nihil omnino quod ipsorum proprium sit contineant. Ne tamen leuitatis uel inertiae incuser ab eis hominibus qui codices manuscriptos numerare quam ponderare malunt, eorum quoque codicum uolgarium qui paullo accuratius conlati sunt — codicis bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis, codicum duorum bibliothecae Parisiensis et codicis Hadriani Relandi — lectiones plurimas ex Ier. Iac. Oberlini editione quae prodiit Argentorati anno MDCCLXXVIII petitas adnotaui; quorum om-

[1]) Viginti codices enumerat Oberlinus p. X ss. quorum n. 19 (codicem Iacobi Revii) eundem esse uideri atque Vaticanum supra diximus; n. 16 uel 17 procul dubio est cod. Sangallensis bibl. monast. n. 663 saec. XVI descriptus in praefatione Itinerari Antonini Augusti a G. Parthey et M. Pinder editi p. XXIX s. Addi possunt duo codices Guelferbytani (n. 813 et 814) saec. XV de quibus cf. F. A. Ebert Bibliothecae Guelferbytanae codices graeci et latini classici p. 153. Codices Parisienses (n. 13 et 14 Oberl.) nuper mei gratia inspexit Ed. Woelfflin uir mihi amicissimus, dum paucos dies Parisiis commoratur, mihique narrauit codicem n. 8413 (olim n. 5997) esse chartaceum saec. XV, codicis autem n. 4808 (quem descripserunt etiam G. Parthey et M. Pinder in praefat. Itiner. Anton. p. XIII s.) folia 80—87 quaternionem singularem a reliquis prorsus diuersum efficientia continere finem libri noni librumque decimum Valeri Maximi (fol. 80^a incipit: sima tribunatus potestate vallatum est. herophilus equarius medicus. Fol. 80^b col. 2: Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium liber nonus explicit. Incipit liber X de praenominibus etc.), deinde fol. 82^a col. 2. Vibii Sequestris libellum eadem ratione qua in codice Vaticano inscriptum; singulis tamen columnis superscriptum esse: liber decimus, in fine autem (fol. 87^a col. 2) subscriptionem duplicem hance: Feliciter Vibii sequestris de fluminibus fontibus nemoribus lacubus paludibus montibus per litteras explicita sunt. Valerii maximi factorum et dictorum memorabilium liber explicit. Deo gratias Amen. Fol. 87^b denique uacuum esse.

nium uel plurimorum certe consensionem littera ω indicaui. At bonae chartae parsurus non adnotaui uarias scripturas Ioannis Boccatii de Certaldo qui codice uolgaribus haud emendatiore usus totum hunc libellum, auctore non nominato, paucis omissis transtulit in eum librum quem ipse de montibus, syluis, fontibus, lacubus, fluminibus, stagnis seu paludibus, de nominibus maris scripsit [1]).

Libelli Vibiani editione principe quam Romae nescio quo anno in lucem publicam emisisse dicitur Mazochius mihi non magis uti licuit quam Oberlino (cf. ed. eius p. XIII), neque umquam oculis usurpaui editionem Aldinam anni MDXIV; sed bibliotheca ciuium Turicensium mihi suppeditauit editionem Aldinam mense Octobri anni M. D. XVIII emissam de qua non recte dubitauit Oberlinus (l. l.)[2]); quacum editio Iuntina anni MDXIX ita consentit, ut hanc ex illa expressam esse statuamus oporteat. Itaque Aldina potius quam Iuntina nominanda erat in adnot. ad p. 2, 13.

Denique de meae editionis ratione hoc monendi sunt lectores: ubicumque nihil adnotatumst, codicem Vaticanum (quem V littera signaui) ea ipsa uerba exhibere quae in textu quem uocant posui; asteriscum autem adnotationi praepositum indicare, codicum lectionem mea ipsius coniectura esse emendatam.

---

[1]) Vsus sum hac editione: Ioannis Bocatii *ΠΕΡΙ ΓΕΝΕΑΛΟΓΙΑΣ* Deorum libri XV cum annotationibus Iacobi Micylli. Basileae apud Ioan. Hervag. MD.XXXII, in qua liber de montibus etc. legitur p. 402—504.

[2]) Continentur hac editione, ut frons libri indicat: Pomponius Mela. Iulius Solinus. Itinerarium Antonini Aug. Vibius Sequester (fol. 191—199). P. Victor de regionibus urbis Romae. Dionysius Afer de Situ orbis Prisciano Interprete.

VIBII SEQVESTRIS DE FLVMINIBVS FONTIBVS LACVBVS NEMORIBVS PALVDIBVS MONTIBVS GENTIBVS PER LITTERAS.

Vibius Sequester Virgiliano filio salutem.

Quanto ingenio ac studio, fili carissime, apud plerosque poetas fluminum mentio habitast, tanto labore sum secutus eorum et regiones et uocabula et qualitates in litteram dirigens, quod ipsi tibi non inutile factum scio fore. Fontium etiam et lacuum paludumque et montium nemorumque et gentium, qua tamen persequi potui, sicut amnium huic libello in litteram digesta nomina subieci; quo lecto non minimum consequeris notitiae, praesertim cum professioni tuae sit necessarium. Et ne pluribus epistola oneretur, incipiemus ab eo fluuio qui et litteram et nomen obtinet primum fluminum.

Achelous Aetoliae primus erupisse terram dicitur.

Arar Germaniae e Vogeso monte miscetur Rhodano; ita lene decurrit ut uix intellegi possit decursus eius.

Amphrisus Thessaliae, ubi Apollo Admeti pecus fertur pauisse.

Alpheus Elidis qui per mare decurrens in Siciliam insulam Arethusae fonti miscetur.

Ascanius Mysiae.

Achates Siciliae, ubi pari nomine lapillos edit unde gemmae fiunt.

Acheron inferorum.

Auens lacui Velinorum infunditur.

Anien per Tiburtinorum fines in Tiberim fluit; ab Aniene filio Apollinis.

Allia Salaria uia ad mil. XIIII a Roma, ubi Galli uictoria sunt potiti de Romanis.

---

5. * habita sit Vω. — a qualitate (pro et q.) V m. pr. — 6. factu V: corr. cod. Paris. II. — 12. cf. Verg. Georg. I, 9 cum Serui nota. — 13. cf. Sil. Ital. Pun. III, 451 s. — 15. cf. Verg. Georg. III, 2. — 16. cf. Verg. Aen. III, 694 ss. — 18. cf. schol. Bernens. ad Verg. Georg. III, 269. — 19. cf. Sil. It. Pun. XIV, 228. — ante id quod est edit ne excidisse putes terra uel simile uocabulum cf. Solin. 5, 25 (p. 59, 1 ed. Mommsen.) — 21. Anien Vω: corr. Preller, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1855 p. 191 ss. cf. Seru. ad Verg. Aen. VII, 657; Plin. n. h. III, 12, 108 s. — lacus V et codd. Parr.; ex lacu cod. Rel. — 22. Anien om. Vω: add. Preller l. c. — * uerba ab An. f. A. ante ea quae sunt in Tib. fl. ponunt Vω. Ceterum pro eo quod est Aniene scribendum uidetur Anio: cf. Seru. ad Verg. Aen. III, 79; Diod. Sic. V, 62; Plut. Parall. 40. — 23. cf.

Araxes Armeniae Armeniam a Medis diuidit.

Atesis Veronensium in Padum decurrit.

Amasenus Priuernatium.

Aufidus Apuliae proximus Canusio.

Alentus Lucaniam a Veliensibus dividit.

Asinius (Catinae) in litore Tauromenitanorum defluit.

Anapus Siciliae qui per duo milia passus sub terram mergens Syracusis miscetur mari, appellaturque Anapos καινός, superior Anapos παλαιός.

Alabis Megarensium cuius fontem Daedalus dilatauit agrumque reddidit eam regionem quam idem fluuius deuastarat.

Acis ex Aetna monte mari decurrit; ex huius ripis Polyphemus saxa in Ulixen iecisse dicitur.

Atax Pyrenaeorum circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum mare.

Atur Tarbellae ciuitatis Aquitaniae in Oceanum fluit.

Almon Romae, ubi mater deum VI Kalendas Apriles lauatur.

Albis Germaniae Sueuos a Cheruscis diuidit.

Aous Apolloniae in Ionium decurrens.

Verg. Aen. VII, 717. — 1. Arabiam Vω: conicias Albaniam, sed cf. Plin. n. h. VI, 13, 42; Plut. Ant. 49; Seru. ad Verg. Aen. VIII, 728. — 2. Athesis edd. ut est in titulo Orell. n. 4378 (cf. Seru. ad Verg. Aen. IX, 680); sed Ἀτησῖνος uocatur a Strab. IV. p. 207 et Ἀτισών a Plut. Mar. c. 23. — 3. cf. Verg. Aen. VII, 685; XI, 547. — 4. cf. Seru. ad Verg. Aen. XI, 405. — 5. Alyntos Vω: intellegendum esse fluuium quem Haletem appellat Cic. ep. ad fam. VII, 20, 1 et ad Att. XVI, 7, 5 uidit Ob.: cf. schol. Theocr. id. V, 123. — 6. Asinium fluuium quem Asinem uocat Plinius n. h. III, 8, 88, Asignum cosmogr. Rauenn. p. 405, 12. ed. Pinder., eundem esse puto qui ὁ Ὀνοβάλας nominatur Appiano bell. ciu. V, 109. Id quod est Catinae superesse uidetur ex articulo aliquo de Amenano fluuio: cf. Ouid. met. XV, 279. — 7. Ancus Vω. — 8. appellaturque ano post anopos caenos superior anatos faeos V (Anatos falos cod. Rel.: idem est Anaposalios cosmogr. Rauenn. p. 485, 6 Pinder.): corr. Reland. Fortasse tamen scribendum est Anapos κυάνεος (a fonte Cyane cuius aquas recipit Anapus) et Anapos φαιός. Cf. Ouid. met. V, 411 ss.; Sil. Ital. XIV, 515, al. — 9. Alaebyn (Alachin alii codd.) magarensium V, ut ambigamus utrum Vibius scripserit Alabis an Alabon: cf. Sil. Ital. Pun. XIV, 227; Diod. IV, 78; Steph. Byz. s. u. Ἀλαβών. — * reddidit et regionem dilatauit Vω. — 10. * diuastat Vω. — 12. egisse Vω: corr. Muncker ad Lactant. narr. fab. XIII, 8. cf. Ouid. met. XIII, 882 ss.; Sil. Ital. Pun. XIV, 221 ss. — 13. At. ax (r erasa) phytenorum circa bonam V: corr. ed. Iunt. (e Pyrenaeo aliae edd.) cf. Plin. n. h. III, 4, 32; Lucan. b. c. I, 403. — 14. Atyr Vω: corr. Ob. tarbeclae V: cf. Lucan. b. c. I, 420. — 15. cf. Ouid. fast. IV, 337 ss.; Ammian. Marc. XXIII, 3. — 16. Sueuos (d above u) V — ceruetiis Vω. cf. Lucan. b. c. II, 51 s. — 17. Aus Vω — in Meoniam decurrens Vω (cod. Rev. decurrit teste Heinsio). —

Alto Dyrrachiae decurrit in Illyricum.

Arimaspae gentis Scytharum, unde aurum Scythae legunt.

Aeas Macedoniae; decurrit in Ionium mare.

Achelous ex Pindo monte [per] Perrhebiorum fines in Maliacum mare decurrit, [alius atque ille] qui Aetoliam ab Acarnania diuidit.

Anaurus Thessaliae ita denominatus quod ex se neque auram neque nebulam emittat.

Apidanus Thessaliae in quo Enipeus, Melas, Phoenix miscentur; ipse in Peneon decurrit.

Asopos Thessaliae in Apidanon fluit.

Agragas Siciliae a quo et oppidum dicitur.

Aniger qui ex cruore Centaurorum quos Hercules interfecit odore suo aduenientes fugat cum fuerit dulcissimus.

Apud Cicones flumen est cuius liquor epotus praecordia uertit in silicem et rebus raptis marmora inducit.

Aternus Hadriae decurrens per Marsos, ubi et Ostia ciuitas.

B. Benacus Galliae ex quo nascitur Mantuanorum Mincius.

Baetis Hispaniae unde Baetica.

Bagrada Africae iuxta oppidum Musti, ubi Regulus serpentem longum pedibus centum uiginti exercitu adhibito interfecit.

---

1. Id quod est Dyrrachiae ne corrigendum putes cf. Steph. Byz. p. 244, 5 ed. Mein. — 2. * Arimaspa Vω: e Luc. b. c. III, 280 s. et VII, 755 Vibius effinxisse uidetur fluuium auriferum Arimasporum anonymum. — 3. Aeras Vω, corr. Palmerius: auctor duplici nominis eiusdem fluui forma (Ἀῷος et Αἴας) deceptus est: cf. Plin. n. h. III, 23, 145; Strab. VII, p. 316; Lucan. VI, 361. — 4. indo V — * per om. Vω. — 5. * uerba alius atque ille om. Vω. cf. Geographiam meam Gr. I, p. 84. — 6. cf. Lucan. VI, 369 s. — 8. Apidamnus V — emisacus Vω: corr. Reland., cf. Lucan. VI, 373 s. — 10. Epidamnon Vω: corr. Hessel., cf. Lucan. l. l. — 11. * gragas V, in quo totus hic uersus, in reliquis codd. prorsus omissus, a m. sec. lineolis subductis notatus est, adscripto supra: ꝋ vacat. cf. Aelian. u. h. II, 33, Steph. s. u. Ἀκράγαντες; Sil. Ital. XIV, 210; Verg. Aen. III, 703. — 12. Antiger Vω: corr. Hessel. ex Ouid. met. XV, 281 ss. — 15. tactis ci. Hessel. ex Ouid. met. XV, 314 (actis cod. Paris. II). — marmoribus V m. pr. — 16. ostia uitas V, Parr.: conicias cuius ad ostia [Aternum ci]uitas: sed cf. Itiner. Anton. p. 313, 6 Wessel.; Orelli Inscr. lat. sel. coll. n. 711; Mommsen I. R. N. n. 6256; adde Plin. n. h. III, 5, 44. — 17. cf. Verg. Aen. X, 204; Probus ad Verg. Georg. II, 160, p. 49 ed. Keil. — 18. cf. Lucan. II, 589; Sil. Ital. III, 405; Plin. n. h. III, 1, 7. — 19. cf. Sil. Ital. VI, 140 ss; 677 ss. Μούστη oppidum prope Bagradam fluuium situm commemorat Ptolem. geogr. IV, 3, 33. —

Barbanna Illyrico praemiscetur.

Bactros Scythiae fines Hyrcanos alluit.

† Brictates ex Thymaro monte Arino miscetur.

C. Caystros per Hypaepam decurrit proximus paludi Asiae.

Camicos Siciliae ex quo urbs Camicos, diuidit Agragantinos.

Calos Moesiae.

Cocytos inferorum ex quo Styx palus.

Crinisos Siciliae ciuitatis Entellae.

Calor Beneuenti oppido iunctus.

Chrysas Syracusis ex monte Heraeo.

Cydnos per mediam urbem Tarson Ciliciae decurrit.

Cirta Massiliensium secundum Agatham urbem.

Casilinum Campaniae, a quo oppidum.

Crustumium, a quo oppidum, in Adriaticum mare decurrit.

Cephisos in Lilaea urbe Phocidos descendit et circa Euboeam flectitur.

Cinybs Africae in quo plurima genera gemmarum inueniuntur et camelis deportantur in oppidum Thybrestrum.

Crathis confinis Sybari capillos facit aurei coloris.

Clitumnus Vmbriae, ubi Juppiter eodem nomine est.

D. Danubius qui et Hister, Germaniae in Pontum decurrit per VII ostia.

Drinus e palude Lychniti adluens Scodram oppidum Illyricorum.

---

1. Babenna V: cf. Liv. XLIV, 31. — 2. cf. Lucan. III, 267. — 3. In his uerbis grauiter corruptis quae plerique edd. ad Timauum fluuium (cf. Verg. ecl. VIII, 6; Aen. I, 244) rettulerunt, fortasse latet nomen riuuli alicuius e Thymbro (siue Thymbride) Syracusarum monte (cf. Theocr. id. I, 118 et Schubring Bullettino 1864, p. 169 s.) in Anapum decurrentis. Tymauo monte cod. Mediol.; Timano fonte cod. Paris. II. (Boactes .... Macrae miscetur ci. Oberlin.) — 4. per hiperam V∞ (Pepipam cod. Rel.) corr. Gronov. cf. Verg. Georg. I, 383. — 5. agringentinos Vm. sec. et Heracleenses add. Ob., sed cf. p. 9, 20. — 6. cf. Apollon Rhod. Argon. IV, 305 ss. Fortasse tamen scrib. Cales (cf. Arrian. peripl. Pont. Eux. 18; Ouid. ex Ponto IV, 10, 47) Mysiae ut Mysiam pro Bithynia appellauerit Vibius. — 8. cf. Seru. ad Verg. Aen. I, 550; Verg. Aen. V, 38. — atilae V∞. — 9. scrib. uidetur Sabato iunctus. Cf. Seru. ad Verg. Aen. VII, 563; Liu. XXIV, 14; XXV, 17. — 10. Crysas V∞ — Hereo V∞. Cf. Sil. Ital. XIV, 229. — 11. tharso V — 14. cf. Lucan. II, 406; Plin. n. h. III, 15, 115. — 15. in alinea urbe V∞: corr. Gronov. e codice Mediol. cf. Stat. Theb. VII, 348. — Eriboeam cod. Rel. — 16. * Arabiae V∞. — 17. fort. scr. Thubactin: Tubactis municipium commemoratur in tab. Peuting., cf. cosm. Rauenn. p. 140, 11 et p. 352, 1 ed. Pind.; Thibursicum, cuius nomen propius accedit ad codicum scripturam, a Cinyphe fluuio nimis est remotum. — 18. Crathys V. cf. Ouid. met. XV, 315. — 19. cf. schol. Bern. ad Verg. Georg. II, 146. — 20. cf. Verg. Georg. III, 350. — 21. Drimus cod. Med. — lygnisti

E. Enipeus e monte Othry Thessaliae.

Euenus qui et Lycormas, per quem Nessus Centaurus Deianiram Herculis traiecit.

Eufrates Parthiae.

Eridanus Galliae cisalpinae qui et Padus, ubi Heliades mutantur in populos.

Eurotas Laconices.

Erasinus † Lyciae.

[Esia Galliae in Sequanam fluit.]

F. Faneus qui et Siris, Metaponti.

Fabaris Sabinorum; is Faber corrupte dicitur.

G. Ganges in Oriente Indiam cingens latissimus quem Alexander post Oceanum nauigare timuit, qui solus aduersum Orientem fluit.

Galaesus Tarentinorum.

Gallus in Phrygia, unde qui bibit insanit more fanatico.

Gela Siciliae a quo oppidum.

Genusus Dyrrachium ab Apollonia diuidit; decurrit ex Epiro.

H. Hebrus Thraciae, proximus oppido Aeno.

Hermus Lydiae Pactolo confunditur.

Hiberus Hispaniae a quo Hiberia.

Hydaspes Indiae uel Mediae defluit Indo ex Caucaso.

Hypanis Scythiae qui, ut ait Gallus 'uno tellures diuidit amne duas': Asiam enim ab Europa separat.

